



MEDICAMENTA CHEMICA.

CLASSIS PRIMA VEGETABILIVM PRAE- PARATIONES CHEMICAE.

SECTIO I.

OLEA DESTILLATA,

Oleum absinthii.

℞ **H**erb. absinthii leniter in umbra siccat. et
conciſſ. q. v.

Aquae fontanae q. ſ. vt herba commodè in-
natare poſſit.

Salis marini q. ſ. ad lenem ſalfedinem.

*Maceratio fiat per aliquod dies; dein deſtillan-
dum per veſicam, igne paulo intenſiore quam qui
aquis deſtillandis adhibetur. Oleum ab aqua ſepa-
retur ſ. a.*

Oleum

Oleum herb. menthae,
origani,
pulegii,
sabinae,
rorismarini cum flor.
rutae cum seminibus,
flor. laeundulae,
sem. anisi,
carui,
foeniculi,
bacc. iuniperi,
cort. limonum,
lign. rhodii,
sassaphras,
caryophyllorum aromat.
cinnamomi,
nucis moschatae,
piperis iamaicensis,

eodem fere modo destillantur. Semina vero et
 aromata contundi, et ligna radi debent ante ma-
 terationem. Tempus macerationis pro ratione
 texturae et compagis varium erit. Tenerrima

H

vix

vix ullam, tenuia molliaque duarum triumue dierum, viscosa langiorem requirunt macerationem. Quo diutius protrahitur maceratio, eo maior addenda est salis marini copia. Viscosis breviori tempore oleum elici potest, si leni fermentationi et non nimis diu protractae subiiciantur, quo casu salis mixtura inutilis est.

Oleum terebinthinae.

℞ Terebinthinae q. v.

Aquae fontanae quadruplum vel q. f.

Destillando ex vesica obtinetur oleum limpidum.

Post euaporatam aquam relinquitur in fundo refina nigra seu colophonia, quae vel pro usu sic servatur, vel ex retorta destillata praebet oleum flavum; dein nigro-rubicundum, quod balsamum terebinthinae vocatur.

Oleum guaiaci.

℞ Ligni guaiaci in scobem redacti q. v.

Indatur retortae terreae vel vitreae, et per gradus ex igne aperto vel arena destilletur. Exibit primo liquor acidus, tum oleum leve rubicundum; tandem, ultimo ignis gradu, oleum crassum nigrum, fundum liquoris petens.

Ex quibusvis lignis eodem modo eliciuntur olea.

Flores benzoini.

℞ Benzoini triti q. v.

Iniiciatur in ollam vitreatam, cuius orae adaptato cucullo chartaceo coniformi subiice lenem ignem, ut flores sublimentur. Repetatur operatio quamdiu oleo non inquinatur charta.

SECTIO